



M.R.GOCLENIO
1597










N. IV. m
16

 James W. Hoste.

1579



55884

APHORISMORUM CHIROMANTICORUM TRACTATUS COMPENDIOSUS, EX IPSIUS

artis fundamentis desumtus & in partes duas divisus:

IN GRATIAM NATURALIS PHILOSOPHIÆ STUDIOSORUM *conscriptus, & in lucem emissus*

A

M. RODOLPHO GOCLENIO
jun. Med. Cand.

ADDITA EST PRAXIS ASTROlogica, continens quarundam geniturarum judicia & miras significationes: omnibus Astrol. & Phys. Studiosis grata, ut spero, & utilissima:

AUTORE EODEM.



Cum Gratia & Privilegio.

LICHÆ
EXCUDEBAT NICOLAUS
Erbenius. An. 1597.

EPIGRAMMA
HERMANNI KIRCHNERI
P. CÆSAR. PROFESS.
Marpurg.

QVó soboles Aquilæ, quó te rapit impetus ille?
Intra naturæ viscera túne subis?
Quæ stupeant alii non intellecta, revolvis:
Humanásque doces lumen habere manus.
Lumen, quo poterint eventa futura videri:
Non frustra factas arguis esse notas.
Quin & ad æthereos penetras feliciter orbes:
Virtutem stellæ cuilibet esse probas.
Iamque tibi applaudit PATER, alta in nube volanti,
Iamque videt sumptus non periisse suos.
Sic age, sic pergas, virtus Goclenia, cælo
Tendere, & æternúm laude vigere tua.

ILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS COMITIBUS AC DOMINIS, DN. EBERHARDO Produci VVestphaliæ: & Dn. HERMANNO ADOLPHO Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis Canonico &c. Comitibus in Solms, Dominis in Mintzenbergk & Sonnenvvalt &c. fratrib. germanis, de patria & literis optimé meritis, Dominis suis clementiss.



NNI JAM FERE TRES sunt elapsi, Illustres ac Generosissimi Comites & Domini, cũ Joannis Taisnierii Pannonii Chiromanticam magnam curiosiús revolverem. Opus sané clari & magni viri, sed ob nimiam prolixitatem & interdum obscuram difficultatem non omnibus acceptum. Operæ igitur pretium me facturum putavi, si magis comperta & experta, minús autem superstitiosa & inutilia in opusculum redigerem. Cujus etiam rei suasor & hortator fuit celeberrimus in Academia Hafniensi Mathematum Professor, Thomas Fintkius, quem honoris causâ nomino. Etiamsi autem hactenus multos monitores & hortatores audivi, ut opus hoc Typographo describendum darem: his tamen non sum obsecutus, tum, quód scirem, me quorundam malé feriatorum censuram subiturum, de audacia & temeritate: tum, quód plurima alia me impedierunt. Videns

autem monitionibus & petitionibus honestißimorum quorundam Studiosorum finem non fieri, & cupiditatem eorum indies augeri, tandem ipsorum voluntati parendum duxi. Cúm autem huic libello Patronus esset quærendus, et de eo cum bonis viris consilium inirem, ad hanc tutelam, nemo vobis, Generosi Domini, aptior visus est: tum quód cætera artium & Philosophiæ studia invicto animo prosequamini, & ingeniorum mirifici sitis admiratores & fautores: tum quód ad hanc quoq; artem vestro auspicio editam aliquid splendoris sit accessurum, & commendatior illa reddita, in frequentiore deinceps usu sit apud Studiosos futura. Addidi præterea praxin astrologicam, in gratiam eorum, qui eam acerrimé efflagitârunt, in qua varia geniturarū exempla à me annis abhinc aliquot observata, una cum judiciis astrologicis, conspiciuntur. Hanc igitur meam operam sub V. C. nomine apparere volui, quam, ut vestro patrocinio promovere & protegere velitis, etiam atque etiam reverenter oro & obtestor. Deus vos conservet, illustres Domini, ad longos annos. Dat. Lichæ, Ann. &c. 97. mens. Mart.

Celsitud. V. obsequentiß.

M Rodolphus Goclenius junior.



AUTOR CANDIDO LECTORI.

S. P. D.

NOn defuturos scio, Candide lector, malé quosdam feriatos & insulsos homines (heus Zoile hoc tibi in aurẽ) qui hanc meam operam horrescant, eámq; falsam & inutilem temere proclament: verúm isti tanq̃ profani ab artis nostræ limitibus arceri debent: qui enim naturæ miraculis fidem non adhibent, ii modo quodam Philosophiam conantur abolere. Hoc tamen me cõsolatur quód hoc studii genus (Chiromanticam puta & Astrologiam) veré apodicticum est (quamvis sunt qui acerrimé occlamabunt) & nullá hactenus vi argutiarum, nullâ oblatrantium turbâ, aut virulentorum malitiâ obscurari & opprimi potuit. Si ego aliqua prætermisi & inconcinné dixi, scias nihil esse tam ornatum, quod expoliri non possit, nec tam plenum, quod incremẽtum recipere nequeat. Hoc unicum nunc ab artis nostræ contemplatoribus peto, ut hac arte, sicut & Astrologiâ, sobrié utantur & cum iudicio: et cogitent, tantam varietatem in hominum manibus, non fortuitó & temeré á Deo & naturá impressam esse, quin potius eiusmodi lineis & notis Deum et naturam aliquid latentis significationis in singulis hominibus designare voluisse. Fateor quidem plurima absurda & superstitiosa olim irrepsisse, quæ legentes plures absterruerunt, nihilominus tamen ita nunc philosophandum est, ut veritatem, quæ é cœlo est, sequẽdam nobis proponamus. Sed heus tu, qui tam alté cristas erigis, & tantos efflas é naribus ignes:

Lege priús, Intellige, Iudica. Vale.

APHORISMORUM CHIROMANTICORUM PARS Prior.

CAP. I.



Oelum vehiculum eſt, divinæ virtutis motu & lumine denſitatum &c.

2. Quo, mediante motu, & lumine ſtellarum ipſius tanquam cauſis ſecundis, Deus cuncta hæc inferiora ordinat & diſponit.

3. Aſtra igitur nobis ſunt in ſigna, videlicet futuræ peſtis, belli, penuriæ, morborum pacis &c.

4. Non tamen neceſſitant abſolutè, ſed conditionaliter, & inclinant fortiter. Joan. Taiſn. *lib. 1. oper. mathemat.*

5. Ut autem imperitis maledicendi opinio auferatur, futurorum eventuum tria ponemus genera: quorum primum eſt eorum, quæ cauſam habent infallibilem & determinatam; ut, motus Cœli, ortus & occaſus ſignorum &c. Et de his certa eſt præcognitio, & ex parte motoris, & ex parte etiam qualibet, quib⁹ præcognitis, & eorũ effectus facilè eluceſcunt.

6. Secundò, aliqua ſunt futura contingẽtia, quæ cauſam habent indeterminatam & fallibilem; ſicut ſunt operationes hominum ſim-

ſimpliciter voluntariæ, quæ neque habent determinatam veritatem, neque determinatam falſitatem. Voluntas enim hominis indeterminata eſt, & ad utrumq; vertibilis: volenti enim aliquid perficere, multa poſſunt occurrere impedimenta.

7. Tertió, ſunt quædam cauſam habentia determinatam, ſed aliqualiter fallibilem, ut ea quæ partim á voluntate hominis, partim veró ab influxu cæleſti dependent.

8. Cúm autem homo naturam habeat bipartitam, ſc. cœleſtem & æthercam, ut animam rationalem: & ex elementorum compagine propagatam, quod eſt corpus caducũ & mortale: ea propter eandem oportuit duobus agitari principiis, cœli ſcilicet influxu, & voluntate humana; & ſic operationes ejuſdem redduntur mixtę.

9. Cúm enim Deus & natura nihil agant fruſtra, teſte Ariſtotele *lib. 1. de cœlo & mundo*, ſequitur neque fruſtra & inutile eſſe, ipſas lineas in manibus hominum impreſſas conſequi, præſertim quia ex influxu cæleſti, & ipſius naturæ principiis dependent.

10. Pro numero ergo ſeptem Planetarum, in vola manus ſeptem montes effecti, Chiromantiam pepererunt, quæ ex lineis in manu humana apparentibus, complexiones, mores, ingenia, fortunas & infortunitates præcognoſcit.

11. Patronos habet Galenum *lib. 1. de complex.* Avicennam *lib. 3. cap. 3. de epate*, ubi ex digitis longioribus, epatis longa additamenta significari testatur.

Aristotelem *lib. 2. de anima: & lib. 1. de histor. animal. cap. 50. pars interior manus, vola dicitur; si carnosa est & incisuris distincta, longam vitam promittit.*

Joannem de Indagine & Tricassum.

Joannem Taisnierium chiromanticum peritissimum, & deniq; ipsam EXPERIENTIAM. Ex sacris Job. *cap. 37. Qui signat in manu omnium hominum, ut singuli noverint opera sua.*

12. Etiamsi autem hoc dictum varié ab antiquis & recentioribus Theologis explicatur, imprimis veró á cõtemtorib⁹ Chiromanticæ miseré interdum torquetur, tamen si ad linguæ sanctæ originem respiciamus, quemadmodum hac de re doctissimos Hebræos consului, aliter non quám de Chiromanticæ artis usu & significatione intelligi potest & debet.

13. In notitiam autem principiorum chiromanticorum non nisi per 4. elementorum qualitates (ex quarum commixtione diversæ fiunt generationum species: & ex quibus una semper dominans est, & una subserviens, cæteris coöperantibus) pervenitur.

14. Inter quas nobiliores caliditas & humiditas activæ & formatrices dicuntur: caliditas

ditas enim cum humiditate proportionaliter posita, per-optimé & proportionaté corpora ipsa protendit & dilatat· si veró caliditas humiditatem multúm superexcedat, ita ut transeat ad siccitatem, tunc ipsa caliditas multúm quidem protendit corpora, sed parum dilatat: Et sicut frigiditas cum humiditate mixta, corpora producit quidé lata sed brevia: cum siccitate veró, longa quidem sed gracilia, & tenuia; Sîc caliditas cum humiditate, debitam longitudinem & latitudinem inducit.

15. Dominante igitur frigiditate cum humiditate, naturale calidum impeditur, unde corpora pinguia quidem sunt, sed non longa; siccitas veró & frigiditas, longa quidem faciunt, sed non dilatata corpora, ob humiditatis carentiam, ac impedimenta ipsius caloris naturalis: Unde Aristoteles *de gener. animal.* fœtum crescere in longitudine nimia ob superabundantiam caloris dominantis in embryone ait, quia multúm extendit materiam· id quod in ipsis etiam vegetabilibus cernitur: herbæ enim calidæ & humidæ in ipsis foliis latitudinem & longitudinem ostendunt: magis veró calidæ, longiores caules quám folia proferunt.

16. Quó igitur quicquam calidius est, eó strictius & longius: quó veró humidius eó brevius & latius: , ut, plantæ calidiores fo-

folia habent ſtrictiora & longiora: humidiores veró breviora & latiora.

17. Caliditas ergo in unoquóque corpore naturali, generabili & corruptibili, vegetabilibus etiam, formatrix virtus eſt: in propria autem operatione magis aut minus egreditur, prout ab aliqua aliarum qualitatum corroboratur ſcilicet ab humiditate vel ſiccitate. Taiſner. *lib. 5. oper. mathemat.*

18. His igitur bené penſitatis, ex lineis in manibus hominum inventis, eorũdem complexio & naturæ proprietas inquiritur: calidam enim complexionem ſignificant lineæ longæ & latæ: longæ & ſubtiles calidam & ſiccam: breves veró ac groſſæ, malorum humorum repletionem minitantur, frigidámque complexionem: graciles veró & disjunctæ, frigidam ſiccámque.

19. Quantitas etiam manus cum digitis & unguibus conſiderabitur: manus enim nimis breves, reſpectu aliarum corporis partium, cavillatores, ſagaces & fortes: nimis veró longæ, furem, inſidiatorem & omni nequitiâ præditum: palma longa & digiti proportionati ingenioſum in multis ſignificãt: manus carnoſæ & bené articulatæ longam, concavæ veró & malé dearticulatæ, brevem vitam denotant: manus longæ & graciles tyrrannidem arguunt: manus tenues & curtæ loquacem & voratorem ſignificant.

20. Di-

20. Digiti porró temperatæ magnitudinis & speciei honestæ, mores indicant optimos: parvi veró & tenues stultum, invidum & audacem: nimium tenues, stultitiam demõstrant: tympanizantes & percutientes, variis cogitationibus subjectum significant: palmã veró inter loquendum percutientes, imperfectionem & animæ passionem significant: manus seu digiti semper trementes, velocem reditũ ab ira ad intellectum, timidos, tristes & malas cogitationes denotant.

21. Ungues etiam lati & oblongi, decenter tenues, albi & splendidi subrubentésq;, ingenium optimum & naturæ bonitatem significant: Inflexi veró curvi & perlongi, impudentẽ & rapacem ostendunt: alba puncta in unguibus, amicas benedictiones pollicentur: nigra veró inimicas & maledictiones odiosas, idque pro natura Planetæ in cujus digito reperiuntur.

22. Pili etiam in dorso manus, indebita quantitate præsertim circa pollicem, signa sunt bonæ complexionis & naturæ: nimia pilositas, instabilitatem notat, & inordinatam complexionem, & si in dorso manus nõ sunt pili, signum est malorum morũ, stulti, & præsumptuosi: paucitas etiã pilorũ, animum fœmineum notat. Omnes enim hujusmodi super-

perfluitates, ex ipſis vaporibus corporis noſtri neceſſarió provenientes, ſecundúm qualitatem & diſpoſitionem corporum, oſtendunt complexiones eorundem.

23. Tactus etiam calidus cum lenitate calidam & humidam complexionem, cum aſperitate veró calidam & ſiccam ſignificat: frigidus veró cum lenitate phlegmaticam, cum aſperitate melancholicam.

24. Nocte etiam natis ſiniſtra magis favet, die veró & in aurora natis dextra, quamvis utraque manus probé inſpicienda & examinãda eſt.

25. Ex lineamentis autem manus, quędam ſunt naturalia, & raró homines ſunt qui hæc nõ habeant: ut ſunt, naturale ſeu cerebri, cordiale, epaticum & menſale: ſignificant enim de conſtitutione & temperamento 4. principalium in homine membrorum: epatis, cerebri, cordis & membrorum generationi inſervientium.

26. Ex his lineis principalibus & naturalibus à natura omnium hominum manibus impreſſis, quælibet ſororem admittit, quæ principalium rupturas & fractiones reſtaurat & reparat.

27. Hinc ſoror vitalis, quæ & linea Martis dicitur, vitali lineæ παραλλήλωσ juncta, cæteris perfectior, vitam longam promittit & divitias multas.

28. Utra-

28. Utraque autem & ſororia & vitalis bené apparens & integré, exceſſum caloris denotat, quod idem de reliquis judicato.

29. Quæ autem lineæ epatis, ſurſum verſus hypothénar, jungitur ſoror, epaticæ & via laſciva, quia per eam laſcivi homines diſcernuntur, item lactea dicitur, & fortunatiſſimos ſignificat: interdum etiam á raſcetta per hypothénar ad auricularem mõtem labitur, quod tamen raró evenit.

30. Naturali veró in monte manus adjacens, ſoror naturalis dicitur: habet & menſalis interdum ſuam ſororem.

31. Eſt & alia linea, quæ cingulum Veneris dicitur, incipítque inter indicem et mediũ & ad annularẽ usq; extenditur inſtar hemicyclii: conſpecta autem apparenter & integré, ſupra modum libidinoſos denotat, in mulieris utráq; manu conſpecta, peſſimum ſignum eſt.

32. Per carpum tranſverſaliter currens linea, diſcriminalis, reſtricta, & raſcetta dicitur.

33. A radice veró annularis per eius tuberculũ excurrens, quod mons ☉ dicitur, deorſúmque tendens verſus menſalem, ſolaris linea dicitur: & hæ lineæ prædictæ omnes dicuntur minus principales & accidẽtales, quia non in omnium hominum manibus conſpiciuntur, conſpectę autem principalium vires

miré

miré augent.

34. His annumeratur Saturnina seu ꝓsperitatis linea (quam tamen quidam perperam inter principales numerant) quæ quibusdã á carpo, quibusdã ex triangulo, qbusdam ex linea vitæ suboritur & per medium volæ excurrit ad tuberculum montis feré ♄, & varias habet significationes, quas supra ordine recẽsebimus.

35. Manus autẽ quęlibet in digitos, volam & rascettã seu restrictã distinguitur: & inter digitos unus pollex dicitur, ꝙ reliquis præpolleat: huic ꝓximus est index ab indicãdo dict⁹: medius & omnibus longior sequitur: medio contiguus est annularis sive Medicus, quem postremó minimus sequitur seu auricularis.

36. Singuli porro digiti p̃ter pollicem, tres habent articulos, pollex veró duos: digitorũ prominẽtiæ seu flexus digitorũ seu nodi articulorũ, q in cõtracta manu extant, condyli dicũtur, unde κονδυλίζειν id est pugno verberare.


37. Spatium inter pollicẽ & indicem thenar dicitur, quia extrorsus extendit.

38. Hypothenar veró manus pcussio dicitur.

39. Quod veró sub imo pollice in modum mõticuli assurgit, stethos dicitur: totius manus medius sinus, vola: & hæ particulæ singulis Planetis dicantur. Stethos enim sive mons pollicis ♀ri dicatur, indicis tuberculum ♃ medius ♄ annularis ☉ auricularis ☿ vola


ſeu triangulus ♂. In quo autem itinera & interdum homicidia deprehendi ſolent, locus ☾ & hypothenar dicitur: ut ex χήμασι ſequentibus videre eſt, in quibus lineæ principales & accidentales ſeu minus principales cũ characteribus ex fundamento ſunt depictæ.

Schema Characterũ qui declarantur aphor. 11. 14. 16. 9. de menſali. Item 13. 12. de epatica.




Schema.

Schematiſmus dextræ, linearum figuras exprimens.




Schema-


Schematismus sinistræ, linearum figuras designans.



Schema characterum, qui explicantur aphorism. 8.25.30.34. & 36. de vitali &c. Item.2.3.4. de loco Lunæ. Item 4.5.6.7. de monte Veneris &c.



Schema characterum, quorum explicatio aphorism. 25.26.28. de capitali. Item 10. de mensali.



NOMINA LINEARVM.

A Vitalis.
B Soror vitalis ſeu linea Martis.
C Raſcetta, reſtricta, carpus.
D Naturalis ſeu capitis.
E Epatica.
F Saturnia.
G Menſalis.
H Menſa manus.
I Soror epaticæ & via lactea.
K *Mons* Jovis.
L *Mons* Saturni.
M *Mons* Solis.
N *Mons* Mercurii.
O *Mons* Lunæ.
P *Mons* Veneris.
Q *Mons* Martis.
R Solaris linea.
S Cingulum Veneris.
T Stethos.
U Thenar.
X Hypothénar ſeu feriens manus.
Y Acini digitorum.



DE LINEA VITALI.

CAP. I.

1. Linea vitalis inter indicem & ſupra tuberculum pollicis quod ipſum circumdat, oritur, ad raſcettam usque excurrens, vitæ brevis vel longæ indicium eſt.

2. Oritur ſeu imprimitur potius á corde, in omnium animalium generatione primó, in quo omnis vitæ noſtræ vis activa conſiſtit: unde præ omnibus longior extenſiórque videtur, ob virtutẽ activam & formativam corporis noſtri, videlicet caliditatem cum humiditate temperatam, quæ materiam protendit & dilatat.

3. Longa, continua, profunda & perlucida ſeu vivo colore tincta, ut eſt albus & perſpicuus, etiam ſubrubens, ea æquálitatem & temperantiam caloris naturalis, vitam longã, infirmitates paucas & vitæ ſecuritatem cum ingenii præſtantia, decernit: idq; fortiús quo montem pollicis circumdat plús & perfectiús.

4. Diſcontinua autem & in una parte latior aut profundior quã altera, ſignificat iracundiam circa id tempus aut aliam quandam paſſionem: unde in principio ſubtilis, animi bonitatem: nimis autem groſſa rudẽ & malevolum notat, propter ipſam ſuper-abundantiam caloris naturalis vehementem: gracilis

veró & longa, ſiccitatis & frigiditatis prædominationem oſtendit, ſuper calorem naturalem, unde naturæ debilitatem: brevis veró & tumida, humiditatem & frigiditatem cum vitæ brevitate ſignificat.

5. Frigidi igitur & ſicci, ex lineæ vitalis ſubtilitate & tenuitate percipiuntur: & tales ſunt infideles & inſtabiles ſeu inconſtantes: & quia qualitates malę malos inducũt humores, ſic malos mores; idem de reliqs judicato.

6. Lineæ venientes á monte pollicis, & vitalé interſecantes, offenſionem capitis, & ab extrinſeco proveniẽtia mala certó augurant.

7. Accidentia autem ſeu morbos ab intrinſeco cauſatos, vitalis fracta & diſcõtinua inventa ſignificat.

8. Linea recta á vitali per menſalem & naturalem usq; ad medium tendens, decollationé vel ſuſpendium minatur ob propria vitia.

9. Incurſurus in mortis periculum, ſemper in eo loco ubi vitalis eſt fracta, invenitur vel in ipſo monte pollicis linea vitalẽ ſequens & circumdans: vel inter montem manus, raſcettam, ac concavum, linea extenſa nõ multúm ab ipſa vitali aberrans, quæ Saturnina dicitur, evaſionem periculi ſignificans.

10. Vitalis brevis & lineolis interciſa, brevitatem vitæ & adverſas portendit valetudines, & imbecillitates.

11. Valde groſſa & rubicunda, ſalacem, & in-

inconſtantem notat.

12. Bifurcata in angulo ſupremo, vagabundum & fatuum.

13. Verſus naturalem rubra, luxurioſos: perverſiſſimi autem ingenii homines, ibidem tortuoſa.

14. Crux in angulo ſupremo cum lineolis, ſalacem, pudoris prodigum & extremé improbum, præſertim in muliere: & crux in fine, mulierem nefariam, ſceleroſam & extremo ſupplicio puniendam indicat.

15. Brevis vita & ſubita mors, per brevitatem vitalis cum parallelis indicatur.

16. Divitias, honores & profectionem, rami verſus naturalem aſcendentes: verſus reſtrictam veró deſcendentes, paupertatem & á domeſticis ſervis deceptionem indicant.

17. Puncta ſive grana in vitali parva, ſalacem, impudicum, fornicatorem, contentioſum & diſcrimen vitæ propter ſanguinis effuſionem indicant.

18. Circuli in linea, vitæ amiſſionem & oculorum paſſiones notant.

19. Crux á linea vitæ tendens ad triangulum, libidinoſam & impudicam mulierem: augetur malum, cum lineis ſuperné & inferné aſſociata: tres veró lineæ in fine vitalis verſus reſtrictam, extremo ſupplicio ob ſcelus puniendam notant.

20. Vitalis á naturali notabili ſpatio disjúcta,

nullis lineis interpoſitis crudelem, avarum & mala morte moriturum ſignificat.

21. Vitalis groſſa, bellicoſum & ſanguinis effuſorem indicat.

22. Crux in fine vitalis in quavis parte ſit, bonum vitæ finem & ſtatum competentem; in principio veró dignitatis bonorúmque perditionem notat: ſub veró vitali apud raſcettam dignitatis amiſſionem & mortẽ violentam minatur.

23. Naturalis á vitali disjuncta, lineis parvis interjacentibus & ſe interſecantibus, prodigum, ſtultum & tandem pauperẽ minatur.

24. Vitalis verſus naturalem bifurcata, fidelem, amabilem, ſapientem & morigeratum ſignificat: & vulnus á longinquo loco infligendum.

25. Linea groſſa unita cum vitali & cũ naturali circa angulum ſupremum, veneficatũ, intoxicatum aut incantatum iri, aut ab animali venenoſo morderi ſignificat: & linea á vitali deſcendens ad pollicis montem, vulnus lethale minatur.

26. Stellulæ in principio vitalis verſus pollicem, hominem glorioſum & fortunatũ pro ſuo ſtatu & conditione notant; ipſa autẽ vitalis brevis brevitatem vitæ portendit.

27. Lineæ criſpæ & tortuoſæ, principium vitalis interſecantes, futuram lepram notant: nam epatis perverſum calorem indicant.

28. Cir-

28. Circulus in principio vitalis, periculum mortis veneno aut suffocatione portendit: observetur tempus pro proportione loci.

29. Linea parva & tortuosa in fine vitalis circa rascettam, magnam minatur infirmitatem: in principio veró vitalis versus radicem pollicis, lineæ intersecatæ; casum & præcipitium, & á quadrupede damnum minantur.

30. Bifurcata scindens vitalem, infortunium capitis, & vulnus lethale significat: vitalis veró versus rascettam sîc conspecta, miseriam & paupertatem in senectute portendit: vide Schema huic aphorismo congruens.

31. Crux super vitalem & angulum supremum, dignitatem utilem & honores portendit.

32. Crux in medio vitalis versus cõcavum, perditionem divitiarum, dignitatis, officii & exilium minatur.

33. Linea á vitali ascendens per naturalẽ & mensalem usque ad medium, carceres & mortis periculum: dúæ veró in fine vitalis ascendentes, bonam famam, probum, religiosum & in patria moriturum significant.

34. Vitalis habens ramos extensos sursum versus naturalem, divitias cum honorificis profectionibus significat: observa tempus pro proportione loci.

35. Lineæ à vitali circa angulum dextrum ad radicem medii per naturalem exientes, infirmitatem incurabilem.

36. Vitalis ramos extendens versus rascettam, paupertatem & damnum à servis.

37. Puncta in linea vitali, litigosum, melancholicum, phantasiã & cordis dolores indicant: idq; magis inordinata & non profunda. Circuli in vitali oculorum amissiones: semicirculi veró cordis percussionem & afflictiones augurant.

DE MEDIA NATURALI ET LINEA CAPITIS.

CAP. III.

SIcut à corde vitales Spiritus, sic à cerebro Spiritus animales per totum corpus diffunduntur: & sicut in embryone cor est primũ, secundó cerebrũ, quod etiã ab ipso corde principium habet: sîc etiã eo loco, in quo vitalis oritur, & linea cerebri constituitur &c.

2. Dicitur naturalis quia per hanc potissimúm uniuscujúsque natura percipitur. Siquidem id naturale recté dicitur, per quod uniuscujúsque natura percipi potest.

3. Linea veró capitis dicitur, quód effectus suos ex capite principaliter evenire demonstret: capitis enim complexionem ostendit.

4. Requiritur autẽ in hac linea conjunctio cum vitali sub medio mõtis indicis, & anguli supremi ibidẽ terminatio, et significat largitatem,

tem, fidelem, ingeniosum & bona operanté.

5. A vitali veró in angulo supremo sejuncta, hominem iracundum & proprii capitis, infidelem, divitias, honores, & parentes vilipendentem significat: significat enim superabundantiam calidi naturalis ad siccitatem tendentem, & hominem furiosum nec pericula perpendenté; ꝑpter phantasiã ex tali siccitate cõfusam: ipsa enim disturbata phantasmata, veritatem rerũ non trutinare possunt.

6. Rami autem disjunctionem talem naturalis & vitalis intersecantes, æqualitatem aliquam inter cor & cerebrum ideóque convenientiam indicant.

7. Naturalis recta & integra, continua & bené apparens usq; ad montem manus bonitatem cerebri, bonam naturæ complexioné, ingenii nobilem excellentiam, veridicum & fidelem significat: significat enim æqualitatem temperamenti, & temperatam qualitatum naturalium constitutionem.

8. Brevis veró, tumida, profunda & concavum non exiens, phantasticum, malevolum & brevis vitę hominem augurat: significat enim superfluã abundantiam frigiditatis & humiditatis, unde mali humores &c.

9. Longa veró multúm & lata, hominem furiosũ, bestialé & choleræ pessimę: significat enim superabũdantiã caliditatis & siccitatis.

10. Subtilis, longa, & malé apparens infi-

delem

delem, proditorem & cerebri volubilitatẽ: frigidam enim & ſiccam complexionem indicat.

11. Conjuncta cum menſali circa finem, in juventute mortem ſignificat: idem, brevis & in concavo finiens ſignificat, ſed in utráque manu sîc conſpecta: Et hujus aphoriſmi paſſim occurrunt obſervationes certæ &c.

12. Quemadmodum autem in omnibus quæ circa vitæ terminum occurrunt, ſemper vitalis conſideranda eſt, hæc enim principalis in calido naturali eſt operatrix: ſic naturam cholericam, furioſam & beſtialem, absq; naturalis conſideratione judicare difficile eſt.

13. Naturalis ad digitos ſurſum extẽſa, impudentem, malitioſum ſtultúmq; ſignificat.

14. Ad montem Lunæ usq; extenſa & recurvata, vitam longam ſed ſeniũ laborioſum.

15. Ad raſcettã veró demiſſa, cupidũ & impurum notat: crux autem é regione medii, intra annum moriturum vel brevi indicat, vel vulnus lethale &c.

16 Menſalem tangens, damnum & adverſam fortunam.

17. Naturalis duas habens adjacentes, furioſum & iracundum.

18. Tortuoſa vel circularis ad menſalem tendens, ſanguinis effuſorem, beſtialem, inſanum, & de vita ſæpé periclitaturum indicat: cujus rei plura vidi exempla.

19. Crux

19. Crux in principio circa angulum supremum, in omne bonum proclive ingenium arguit: sed bonorum perditionem: in fine veró naturalis á quovis latere, bonum vitæ finem & statum competentem notat: in medio veró medio opposita, vitam brevem, contentiosum, & litigosum, eóque magis quanto plus rubeat &c.

20. Breves á naturali versus mensalem tédentes circa angulum supremum, morigeratum, fidelem, boni animi & liberalem indicant.

21. Duæ autem á naturali ascendentes & conjunctę versus mensalem, bona ecclesiastica, & fortunas inopinatas indicant.

22. Malé formata & pluribus lineis intersecta, dolores in omni temporis mutatione portendit præsertim autumno.

23. Linea intersecata super naturalé, non servare uxori fidem & contrá significat; sed in fine ramusculosa luxuriam vitiosam & secreta malę agentem, clericorum amatorem inhonestum significat &c.

24. Naturalem in medii opposito tales intersecantes, mortem in juventute præsagiunt, & vulnera lethalia.

25. Semi-circulares junctę cum naturali in quadrangulo, oculorum periculum grave minantur, capitísque dolores: lineæ veró subsequẽtes naturæ integritatem & sagacitatem animi significant.

26. In

26. Interrupta in principio offensionem tibiarum, casus ab alto minatur & capitis vulnera, pluribus veró lineis intercisa, brevitatis vitæ & morborum indicium est: hujus aphorismi certissima habeo experimenta & plurima exempla.

27. Lineæ infra natural. sese intersecantes, homicidiarium & inimicitiam mortalem: naturalis veró inter annularem & medium recurvata, subitam apoplexiam & vitam brevẽ.

28. Juxta hypothenar bifurcata, vitæ discrimen ex inflicto vulnere minatur: ast ubi furcarum extremitates ad ferientem producuntur, hominem pium, & in senio sacris vacantem ostendit.

29. Cum linea thori conjuncta, casum ab alto, & ex veneno mortem repentinam minatur.

30. Versus carpum demissa, fœneratorem & avarum.

31. Desinens in centrum volæ, hominem simplicis ingenii & brevis vitæ: variis autem incisuris turbata, variis morbis vexandum ostendit.

32. Livido colore tincta, aut epilepsiam aut apoplexiam minatur.

33. Orbiculi instar literæ o conspecti in linea, quot fuerint, tot homicidia significant: qui si pallidi apparent, jam commissa; rubei veró committenda arguunt.

34. Crux

34. Crux in ipſa linea, vulnus innuit in capite vel tibiis.

35. Ad hypothenar usque extenſa, longæ vitæ eſt indicium: per hypothenar veró in ferientem producta, longam quidem ſed laborioſam, ærumnoſámque portendit.

DE MENSALI SEU LINEA THORI.

CAP. IIII.

1. Incipit hæc linea infra montem auricularis & trãſverſaliter per latitudinem manus, verſus montem indicis ducitur.

2. Sumitur inde judicium, de potentia generativa, conſtitutione & qualitate membrorum generationi inſervientium, renum, vaſorum ſeminariûm, teſtium, & uteri.

3. Perfecta autem vigoroſitas ipſius caloris naturalis, imó totius corporis ſubſtantia, ex integritate & continuatione hujus lineæ cognoſcitur: non autem ipſa complexio, ſed habitudo quædam ad complexionem & prolis generationem.

4. Lineæ parvæ in fine menſalis, morbos in ultima ætate; juxta mediũ, in media ætate; juxta veró principium, in prima ætate ſignificãt. Sique deſcendant ex cholera, aſcendẽtes veró

ex ſanguine & phlegmate morbos venturos præſagiunt.

5. Menſalis igitur recta, æqualis, integra, continua & bené apparens, bonitatem complexionis, membrorum in homine principatum, conſtantiam in bonis operibus, & aptitudinem ad prolium generationem ſignificat.

6. Nuda & ſine ramis, fortunatum & inopem, crudelem & pernicioſum.

7. Rami erecti ad montem Jovis, honoris exaltationes ſplendidas cum magnis divitiis.

8. Crux parva in fine circa montem Jovis, liberalem, verum, benignum & affabilem ſignificat, omníque virtute ornatum: é regione veró medii finiens, mendacem, inconſtãtem & multa pericula decernit.

9. Interciſa lineolis, inconſtantem, libidine fractum & varié cũ mulierculis conflictãtem ſignificat: peſſimi autem argumenti eſt, linea menſalem ſcindens & biſurcata ſuperius præſertim in mulieribus.

10. Cum vitali unita & angulum faciens præſertim naturali deficiente, hominé truncandum præſagit vel mortaliter vulnerandũ: ſemi-circulares, renũ infirmitatem & partus in mulieribus debilitatem indicant: cum naturali veró circa principium juncta, caſum ab alto, vulnera & afflictiones lethales: obſervatum eſt.

11. Sic

11. Sic cõſpecta, felicitatis inſignia & magna rerum dominia pollicetur. Vide ſchema huic aphor. congruens.

12. In fine habens tres lineas ſeu ramuſculos in quacunque parte, fortunatum, modeſtum & hilarem ſignificat.

13. In cujus manu menſalis non eſt, malevolum, contentioſum, iracundum, ſuſpectæ fidei, & in omne malum facile proclivem arguit: utriúsque denique ſexus hominem.

14. Linea vel lineæ á vitali tendentes ad medium, menſalem ſcindentes, mulierem (cui ineſt) proprium partum necaſſe dicũt: malam etiam mortem maliq; exitus coactionem arguunt, ſeu in viro ſeu in muliere conſpiciantur.

15. Inter menſalem & locum Mercurii, linea á menſali ad auricularem tendens, nec bonum nec fortunatum arguit; ſed malignum, avarum & odioſum (obſervatũ eſt). Item, inter menſalem & auricularem lineæ ſibi numero pares & conſpicuæ, tot nuptias portendunt.

16. Bifurcata in fine, altero ramo ad indicem, altero veró ad naturalem pergente, fortunatum, amicabilem ſignificat: Item, bifurcata, altero ramo ad indicem aſcendente, altero inter indicem & medium remanente, divitias & vitam quietem ſignificat. Item, linea ad montem manus deſcendens, parricidam

consanguineorum notat: á mensali veró linea ad medium tendens, bona auget.

17. Divisa & discontinua, hominem de vita sæpe periclitari: sub medio veró intercisa, luxuriam & vulnera pectoris notat.

18. Linea á mensali versus annularé ascendens, honores & dignitates splendidas: versus mediũ veró ascendens vel ascendentes, vitam quietam: versus naturalem descẽdentes, utilitatem ab amicis: intercisa autem versus medium lineolis multis, vulnera & damnũ apud principes, bilinguẽ & adulatoré indicat.

19. Crux in fine & principio, fortunas extra patriam & veritatis amantem: in medio veró, inimicitias & rixas portendit.

20. Ad summum: continua & sine ramis, excessum caloris naturalis & siccitatis notat, ita quód nulla frigiditate aut humiditate valeat temperari: quando autem est ramusculosa & discontinua, significat impedimentum caloris naturalis & remissionem quandam: priori modo inventa, iniquissimum, iracundũ & crudelem: posteriori veró modo, de prædictis remittit & minuit.

DE LINEA EPATICA.

CAP. V.

1. Certum est, excellentiorem omnibus qualitatibus, esse caliditaté, omnium inferiorum causam activam & formativã, & secundúm

dúm ipsius operationem ac dominiũ omnes actus humanos gubernari & in operationes suas prodire.

2. Hinc in unoquoque corpore qualitatũ fit controversia maxima & quæ ex illis fuerit præpotens, illa & ipsarum operationum fit dominatrix.

3. Unumquodque igitur animal aut vegetabile secundúm ipsarum qualitatum dominationem gubernatur: nisi velis hominem excipere, eó quód summa arbitrii sui libertate fruatur: quamvis propria voluntate potest deflectere.

4. Ut igitur in unóquoq; cœtu aut societate naturaliter alteri alter præponitur, nec tamen, etsi princeps existat, omnes per se operationes & functiones suas exequitur, sed unicuíq;, prout cuíq; opus videtur, partem suã exequendam proponit: sic ipsa natura in corpore humano ordine quodam disponitur & gubernatur: & quemadmodum in ipsum corpus á corde spiritus vitales, á cerebro animales: sic substantia nutritiva & digestiva ab epate in totius corporis mẽbra diffunditur, quę est ipse sanguis magnam animæ partem participãs, propter caliditatem & humiditatem suam connaturalem.

5. Linea igitur epatis longa, continua, moderaté láta, & bené colorata, optimam epatis & reliquorum membrorum nutritioni inser-

vientium temperiem ſignificat: interciſa, fracta & diſcontinua, malam digeſtionem & cõplexionem depravatam notat.

6. Quibusdam incipit á carpo, quibuſdam ex linea vitæ ſuboritur, & per medium palmæ verſus hypothenar porrigitur, quibusdam in linea cerebri deſinit, quibusdam ad montes digitorum excurrit: quamvis interdum inveniuntur manus hac linea carentes, & ſignificat ſubtilitatem cutis & caloris, choleram & ejus proprietates, ut ſunt agilitas corporis, velocitas in loquendo, amor vinorum bonorum & ciborum calidorum: in ſenectute interdum propter exercitia operum invenitur, tunc enim calor naturalis ab extrinſeco adveniens imprimit.

7. Separata á linea vitæ, vitam longam ſignificat: ubi autem cum ea conjungitur, debilitatẽ cordis ob ſanguinis largiorem in cor ipſum defluxum.

8. Ad montes digitorum excurrens, vel ad tuberculum medii digiti, corporis ſalubritatem usque ad ſenium portendit.

9. In capitis lineam deſinens, modeſtum, pium & boni ingenii hominem deſignat.

10. A naturali diſtans plurimúm, hominẽ fatuum, invidum, prodigum, detractorem & crudelem innuit.

11. Linea ſecans epaticam in medio inſtar crucis, ſignum eſt ægritudinis propinquæ, aut

illicó

illicó futuræ: si fuerit rubra, ægritudo præteriit.

12. Linea vitæ & epatis faciens in angulo crucem bifurcatam, seu juxta montem pollicis sese intersecantes, bonitatem intellectus, nobile vitæ genus & omne bonū portendit.

13. Saturnina, epatica & naturalis triangulum faciētes, necromanticos & negotiorum antiquorū solertes indagatores arguūt, si fuerint subtiles & proportionatæ: crassæ enim & grossæ fatuitatē quandam &c. et tale signū conspicietur feré in omnium manibus, quibus concessum est modesté se tantúm delectare artibus, quę ex divinę virtutis vehiculo, hoc est, cœlo & astris futurorum eventuum causas præcognoscunt.

14. Inæqualiter colorata, & rubea valde & cerebri lineam attingens, dolores capitis ex sanguinis abundantia notat: tenuis veró & rubra in medio, febres: in principio veró circa vitalem rubea, palpitationem cordis & debilitatem minatur.

15 Tortuosa & intersecta, periculum vitæ ex quadrupedibus annunciat.

16. In ferientem manum evagans, nauticā servitutem portendit.

17. A carpo ad indicis tuberculum protēsa, honorificas & spendidas legationes: ad auricularis veró montem extensa, petulantem & profluvium sanguinis annunciat.

DE RASCETTA SEU RESTRICTA.

CAP. VI.

1. Rascetta est illud spatium, quod est inter duas lineas, brachium & manum discriminãtes, quæ vulgó lineæ discriminales dicuntur, & per carpũ transversaliter currunt: hoc spatium purum & bené coloratum nõ rugosum, bonam complexionem cum longa vita portendit: ipsa veró linea, quæ restricta dicitur & bractium manúmque dividens, continua & integra, profunda & bené colorata, hominem fortunatum & quietum, divitiarûmque affluentiam: brevis veró & intersecta, contrarium minatur: plures veró lineæ in carpo æquales, carpum transversaliter ambientes, plurimas hæreditates & divitias permittit: sed juventutem laboriosam.

2. Rascetta non rugosa & pura, Martẽ fortunatum significat: nec in calore superexcedente dominari: & Lunam æquali temperãtia calidi cum humiditate, calidum naturale non impedire.

3. Catenata, vitam laboriosam interdum tamen fortunatam ex loco Lunæ.

4. In rascetta, lineæ in modum crucis vel stellularum sese intersecantes, hæreditatem aut futurum bonum indicant. Versus finem tamẽ vitalis crux, hæreditates cum lite & cõtro-

trouerſia maxima: plures veró cruces verſus finem vitalis, diffamationes mulierum causâ oſtendunt.

5. Linea á raſcetta per mediam manum extenſa ad naturalem, vitam competentem: ad medicum veró digitum, proſperitatem maximam ſignat.

6. Quatuor lineæ æquali menſura circa carpum continuæ & bené coloratæ, 80. annorum hominem faciunt: et tales lineas videmus plerúmque in talis ætatis hominibus.

DE SATURNIA SEU PROSPERITATIS LINEA.

CAP. VII.

1. Saturnina palmæ & digitis occurrens, proſperitatis linea dicitur, nam cæteris lineis ꝓpria virtute carẽtibus, plurimũ ſuffragatur.

2. Saturnina igitur propé angulum dextrũ debet eſſe, & recté ad montem Saturni prætendere, recta & non tortuoſa: & tunc bonũ futurum pollicetur & felicitatem ſummam.

3. Apud vitalem in ipſo monte pollicis oriens & per concavum deſcendens, fortunam maximam propria virtute acquirendam ſignificat: in concavo veró manus oriens, proſperitatem & animi calliditatem: ad medium veró finiens & recta á raſcetta incipiens, hominem magno ingenio & feliciſſimum: tortuoſa contrarium.

4. In concavo manus lineę duplicatæ, tortuosæ & inflexę, maximá corruptionem & infirmitatem pessimam, ut morbum gallicum: calorem enim naturalem in suo vigore non persistere significant.

5. Saturnina digitum Saturni quo propiús ingreditur, eo deterior: ac majorem vehementiam mali influxus Saturni notat: tristitiam & carceres.

16. In fine Saturninæ lineæ conglomeratæ, intercisæ & reflexæ, post maximam fortunã, infortunium pessimum significant.

DE LINEIS VULNERA, PERCUSSIONES ET FRACTURAS significantibus.

CAP. VIII.

1. Linea vel lineæ ab indice ad montẽ medii tendentes, vulnera in capite & percussiones notant, præsertim tortuosæ.

2. A medio versus inferiorem partem ipsius montis in pectore & brachiis.

3. Ab annulari in renibus, vulnera notant, & offensiones cordiales.

4. Ab auriculari in pedibus & cruribus.

5. Harum enim linearum á radice digitorum orientium positus observandus est, particularibus enim membris offensiones minãtur: Et ideo primó ostenduntur ab indice ea

quæ

quæ capiti contingunt, tanquam qui proximus est ei á quo spiritus oriuntur, & ex consequenti reliquis aliis corporis partibus.

DE TRIANGULO ET QUADRANGULO.

CAP. IX.

1. Ex linearum principalium circumscriptione, duo insignia schemata in vola manus conspiciuntur: triangulus & quadrangulus.

2. Triangulus est spatium seu figura tribus lineis causata sc. vitali, naturali & epatica: & quamvis aliquando nòn inveniatur linea epatis & naturalis distás cum vitali in angulo supremo: nihilominus tamen intelligitur triangulus.

3. Triangulus igitur æquilaterus vel feré: ex lineis æqualibus boni coloris & pulcri constitutus, bonam naturam, vitam longam, ingenii dexteritatem & famæ excellentiam promittit: contrarium judica si malé distortus & imperfectus fuerit.

4. Figura semi-circularis aut triangularis in triangulo, crudelem, bestialem, furiosum & iracundum: lineæ veró intersecatę in modum crucis, violentam mortem & vitæ malum finem notant, ex influxu Martis.

5. Triangulus angulis constat tribus, supremo, infimo & dextro: supremus clausus

é regione ſpatii inter Saturnum & Jovem, ingenii felicis hominem notat, bonã diſpoſitionem & vitam inculpabilem: qui veró lineam vitæ & naturalem conjunctam ibi non habẽt, ſed notabili ſpatio eóq; puro diſſidẽtes, ſignificant crudelem, ſubſannatorem, detractoré, prodigum, mendacem, vanum, cavillatorem, & ſibi ipſi placentem & vitæ finem miſerrimum: præſertim ſi naturalis ad digitũ Saturni vel thenar appropinquet: item, turpiſſimis lenonibus ſeſe applicantem & meretriculis.

6. Clauſus veró é regione montis Saturni, vitam miſerrimam & avaram cum captivitate & bonorum jactura.

7. Linea vitæ tacta à naturali in concavo, manus, avaritiam & miſeriam cum animi captivitate importat.

8. Totum ſpatium trianguli bené coloratum & amplum, liberalem, candorem, & ingenii dexteritatem cum bona complexione: anguſtum veró & lividi coloris, malá corporis temperiem & linguæ præcipitãtiam notat.

9. Cruces multæ in triangulo, ſuſpendium & decollationem minantur.

10. Quadrangulus dicitur illud ſpatium, q́ eſt inter naturalem & menſalem & dicitur menſa manus: totiúsq; corporis actiones effectúsq;, non tamen in uno operationum, ſed omnium generibus oſtentans: plurimúm enim latum in medio, magis in fine & princi-

pio

pio bonitatem complexionis, cordis calidam temperiem, magnanimitatem oſtendit & liberalitatem: anguſtum veró & feré ſtrictum, frigidam intemperiem, puſillanimitatem, ſomnolentiam & avaritiam.

11. Rimuloſus & pluribus lineis interſecatus, ſiccitatem & naturę frigiditatem notat, debile caput, & cerebrum volubile.

DE MONTE MANUS SEU LOCO LUNÆ.

CAP. X.

1. Mons manus, eſt Lunæ proprius locus & principale dominium, unde magis humidus conſpicitur: debet eſſe lenis, purus, bené coloratus, magíſq; elevatus verſus raſcettam quám menſalem, & tunc ſignificat bonitatem complexionis temperatam: nam ex elevatione ipſius montis, proportio calidi & humidi conſpicitur.

2. Lineæ quædam tortuoſæ & circumflexæ in fine montis manus, maximum infortunium ex aquis portendunt, aut in loco aqueo.

3. Lineæ exurgentes è percuſſione manus facientes angulum acutum, mortales inimicos præſagiunt.

4. Figura ſemi-circularis hoc in loco, parricidam vel fratricidam accuſat: in muliere hoc ſignum peſſimum eſt: crux incrementum notat; Stellula veró nefarium & ſceleratum.

Mons

5. Mons manus multiplicatus multis lineis ſeſe in formam ſtellæ ſecantibus, ſubmerſionem denotat.

6. Certum autem eſt & empiricum, lineas obliquas & tortuoſas inſtar ſigni Aquarii, in acinis & extremitatibus digitorũ per latitudinem extẽſas, ſubmerſionem in aquis ſignificare ſecundúm diverſas ætates: in auriculari enim in pueritia, in medio in media ætate, in indice in ſenectute, in pollice veró in decrepitis annis portendunt.

DE MONTE POLLICIS.

CAP. XI.

1. Mons pollicis cum ipſo pollice Veneri dicatur (quamvis alii hunc locum Marti tribuant, quód ille influentia cæteris planetis ſit fortior: ſed experientia comprobatum eſt, hunc locum Veneri rectè dicari, utpote qua nihil eſt fortius) incipit á radice pollicis verſus vitalem, lineásque extendens, continuas, raras, rectas & non multúm profundas, ſignificat bonitatem complexionis temperatam, & hominem amabilem & humanum: interciſus veró tranſverſaliter, exuberantiam caloris naturalis cum ſuperflua humiditate ſignificat: venereíſque cupiditatibus pleniſſimum.

2. A

2. A radice pollicis lineæ bifurcatæ exeuntes, passionem veneream maximã & nefanda portendunt.

3. In fine montis crux vel ſtellulæ, infamiam & infortunium á mulieribus cum adulterio notant.

4. Lineæ tranſeuntes in ipſo monte verſus partem inferiorem & exeũtes á dorſo manus integrę, æquales & continuę, hæreditates & bona á mulieribus oſtendunt.

5. Linea groſſa & rubicunda tranſverſaliter ſecans primam juncturam pollicis, ſuffocationem, ſubmerſionem vel ſuſpenſionem minatur.

6. Duæ vel tres lineæ ſemi-circulares inter primam & ſecundam juncturam rubicundæ, ſuſpendium & ſtrangulationem notant: Item, linea continua á prima junctura usq; ad ſecũdam, decollationis & ſuſpendii nota eſt: item, linea circumdans pollicem circa ſupremam juncturam idem notat: item, lineæ arcuales circa juncturam & dorſum idem oſtẽdunt.

7. Figura circularis juxta ſupremam juncturam per mediũ ab alia linea ſecta, ſubmerſionem, lepram, odium & furem; ungui propior, ſtrangulationem vel decollationem patietur.

8. Raró á ſuſpendio & mala morte evadere dicimus lineas principales infortunatas, diſtor-

distortas & intercisas habentes.

9. Tres á prima junctura pollicis ad vitalem, periculum ignis & mortem ex igne præsagiunt: idem litera C seu semi-circularis figura in loco Martis, significat.

DE MONTE JOVIS.

CAP. XII.

1. Mons indicis sub digito Jovis constituitur, qui si fuerit planus & quomodocúnque lineatus (nisi illæ lineæ sint capillares & ad se invicem intersecatę, tunc enim maximum infortunium significant.) semper bonum significat, & vitæ honestatem cum bona complexione, præsertim si lineæ fuerint rectæ: crux in ipsa radice, adulterium: stellula veró, luxuriosum & forté beneficium aut honorẽ, mulierum causâ accepturum: in ipso autem digito vel monte Jovis crux seu cruces, bonorum accessiones & dignitatum incrementa præsagiunt.

DE MONTE MEDII.

CAP. XIII.

1. Mons Saturni dicitur mons medii: qui intersectiones transversales non bené fert: sine enim rugis & intersectionibus omnino constitutus, hominem fraudis expertẽ, labo-

riosum

riosum, sedulum & simplicem: contrarium judica, rugosus & intersecatus si fuerit.

2. In manu muliebri in prima digiti junctura crux aut stellula, sterilitatis argumentũ est.

3. Unica tantum linea scissus, in acquirẽdis divitiis felicitatem portendit: pluribus lineis divisus, magnam difficultatem: intersecatus, infortunium & impedimentum.

DE MONTE ANNULARIS.

CAP. XIIII.

1. Mons annularis dominio Solis subjicitur: multitudine & dissectione linearum cõfusus, naturæ siccitatem, caliditatémq;, vani gloriosum & cerebrum volubile: duabus veró lineis ornatus, hominem legalẽ, ingeniosum, amabilem, familiarem nobilium, & benevolum: una veró linea ad radicem digiti feré extẽsa & conspicua, dignitates seculares, philosophiam & artes liberales denotat.

DE MONTE AURICULARIS:

CAP. XV.

1. Mons auricularis, & ejus digitus sub Mercurio constituitur: mons non debet esse multum lineatus, neque per longum, neque per latum: sed ipse digitus pluribus lineis signatus, significat influentem bonitatem naturæ & Planetæ: mons multúm linea-

tus

tus iniquum, malignum & callidum: lineæ autem rectæ á dorſo manus feré ad montem provenientes, cõſecutionem rei optatæ cum gaudio, amicos, & uxores: plures autem junctę & duplicatę, duas vel plures uxores decernunt: dictæ veró lineæ interciſæ & parvę, malam uxorem vel nullam: rectæ continuæ & magnæ, præſertim ſi crux hoc in loco etiã per ſe appareat, uxores divites, claras & magnam felicitatem ab iis portẽdunt: tortuoſæ & malé apparentes item interſectæ, rixas & contẽtiones.

2. Circulus in hoc digito, furem abſtinentem ſignificat: ſed cum tortuoſa, furem vitioſum.

3. Linea groſſa & fovea quaſi, á ſecunda junctura ad radicem digiti: & duæ lineæ ad modum crucis ſeſe ſecantes: item, tortuoſæ & reflexæ inter primam & ſecundam juncturã, furem & fatuum: lineæ autẽ ſubtiles & clarę inter primam & ſecundam juncturam, nobilitatem ingenii in diverſis facultatibus ſignificant.

APPENDICES QUÆDAM NOTABILES DE VITA.

CAP. XVI.

1. Vitalis fracta & ramum fractum verſus concavum extendens, ſpem ſalutis, imminente

te mortis periculo indicat.

2. Figuræ circulares in naturali, homicidia indicant: semi-circulares vulnera: expertum sæpius.

3. Saturnina, ascendens ad concavum larga & ampla & circa montem pollicis & rascettæ flexa, semper feré supplet locum vitalis & longam vitam significat.

4. Notandæ sunt lineæ circa radices digitorum, ostendentes vulnera & læsiones in corpore: in indice quidem quæ capiti: in medio quæ pectori: in annulari quæ renibus: in auriculari quæ pedibus & coxis accidunt.

5. Lineæ principales bifurcatæ repertæ, semper animi duplicitatem ostendunt: unde bifurcata in principio vitalis, semper bonum significat, justitiam & fidelitatem; callidum, astutum & secretũ: in fine veró bifurcata, infidelitatem cum frigiditate & humiditate in senio prædominante: naturalis in fine bifurcata, bonũ significat, finis enim naturalis, ultimam ætatem demonstrat: in principio veró non laudatur; ebullitionem enim sanguinis ostendit & animum duplicem. Linea veró epatis quomodocúnque bifurcata, malum significat & malignitatem, propter impotentiam caloris. Mensalis bifurcata versus percussionem, semper malum significat, præsertim si ramusculorum unus ad naturalem non tendat.

5. Ultimó ſciendum eſt, quód in longitudine & brevitate vitæ ſemper ad vitalem recurrẽdum erit, & ſecundúm ejus proportionem de vita judicandum &c.

APHORISMORUM CHIROMANTICORUM PARS POSTERIOR, *de lineæ vitalis commenſuratione accurata, cum aliis quibuſdam experimentis.*

1. Si linea vitæ brevis conſpicitur, fruſtra de accidentibus reliquis indagaretur, mortis enim præventu illis potiri non potuit.

2. Itaque diligenter hujus dictæ lineæ ſitus conſiderandus eſt: cúm enim cor in cujusvis animalis corporis medio conſtituatur, ut æqualiter poſſit unicuíque membro virtutem ſuam contribuere; & idem omnis virtutis activæ princeps, virtute caliditatis per ſemen in matrice ſeminatum & á conceptione generatum, perfectum producat animal: conſervativam etiam totius corporis vim in eo conſiſtere quis dubitet? cor, certé ſua propria qualitate & caliditate activa & naturali operatione, lineam vitæ in manum protendit & format: alias veró ab hac vitali dependere, minus obſcurum eſt: poſita enim cauſa principe ſeu principali,

pali, minus principales facilé apparebunt.

3. Ex dispositione igitur, hoc est, longitudine, brevitate, subtilitate, grossitudine, integritate & mala apparentia, vitalis judicium fit de vita brevi vel longa.

4. Vitalis autem fracta, vel terminum vitæ, vel vulnera lethalia: interrupta, infirmitatẽ & morbos: brevis, brevitatem vitæ portendit· observandum autem tempus pro proportione, & loci commensuratione.

5. Hæc autem vitalis commensuratio debet proportionaliter fieri, secundúm cujuslibet hominis manus dispositionem, & secundúm ipsarum linearum proportionalem situm & figuram.


6. Perfecté igitur & magis geometricé, vitalis linea sic dividitur: alter pes circini in medio radicis indicis formetur; alter veró ad medium radicis annularis extensus, lineam quadrantis constituit, quæ ad vitalem ducta, primos 10. annos consignificat. Deinde, semper remanente firmo altero pede circini, in medio radicis indicis, alter pes inter annularem & auricularem præcisé dirigatur, & rursum ad contactum vitalis deducendus est, in cujus contactu 10. alii anni, hoc est, 20. indicantur: Spatia autem metienda, rascettæ propiora quó fiunt, eó semper minora evadunt. Tertió collocandus est pes circini in medio radicis auricularis

&30 dat annos: quartó collocatus pes circini ad finem auricularis 40 monſtrat annos: quintó collocatus pes circini ad contactum menſalis & principium 50 dat annos: ſextó accipiatur eadem amplitudo diſtantiæ præcedentis lineæ, quæ annos 50. á 40. disjungebat in vitali, & ducatur linea ad percuſſioné, hinc ad vitalem & 60 annos promulgabit: & ſic continuando usque ad hominis ætatis annos 90 &c. omnia ſequenti ſchemate clariora evadent.



Schema.

Schema, ostendens vitalis Commensurationem.



Hoc modo facilé inveniuntur, exacta hominum tempora in vitali, bené tamen observata debita manus proportione: palmæ enim manus, circa radices digitorum per transversum divisæ in 4. æquales partes, semper respondebit altitudo medii digiti: integræ autem palmæ á radice medii usque ad rascettam divisæ, respondere debet longitudo indicis usque ad radicem pollicis: hâc manus debitâ mensurâ & proportione observata, anni in vitali exacté inveniri possunt· unde perspicuum est, Tricassi & aliorum, vitalis comměsurationem geometricam non esse, ideóque imperfectam.

EXPERIMENTA QUÆDAM
Chiromantica conclusionis loco adjecta.

1. Morte violentâ & capite truncandos significat linea: 1. á prima junctura pollicis recté ad secundam tendens: 2. semi-circuli inter 1. & 2. juncturam pollicis: item, mensalis cum naturali juncta, & vitalis dissecta cum fractione, quorum posteriorum significatio certissima est.

2. Vulnera minatur linea grossa naturalem scindens: homicidia, circuli in eâdem: semicirculi autem oculorũ & capitis afflictiones.

3. Submersionis pericula certó presagit in

acinis

acinis digitorum vel monte Lunæ, ſignum Aquarii: item, lineæ in monte Lunæ in ſtellulæ modum ſeſe interſecantes: item, lineæ ex monte Lunæ tanquam anguli acuti ſeſe tangentes.

4. Naturalis brêvis in utraq; manu & diſſecta, vitam brevem

5. Trigonus vel crux in monte Jovis, honores & bona Eccleſiaſtica.

6. Menſalis diſrupta, vulnera capitis: ſemicirculi in vitali & naturali, homicidam neceſſarió arguunt: in monte Lunæ plures lineæ continuæ & parallélæ, itinera fortunata: diſruptæ, contrarium minantur.

7. Meretricis & plurimũ libidinoſæ mulieris ſigna manifeſta ſunt: 1. cingulum Veneris in utraque manu, vel in una ſaltem bené & integré apparés: 2. Soror vitalis ſeu linea Martis. 3. plures lineæ claræ inter primam & ſecundam juncturam minimi, in utraq; manu: 4. Mons Veneris in utraq; manu, profundis & claris lineis interſectus, & hoc nunquam fallet: in caſtæ & honeſtæ mulieris manibus hæc ſigna adhuc non vidi: quamvis interdum ex bonitate naturæ quædam imprimantur.

Hactenus Chiromantica.

FINIS.

PRAXIS ASTROLOGICA, CONTINENS QUARUNDAM GENITURARUM Judicia & miras significationes.

ASTROLOGIÆ STUDIOSIS RODOLPHUS GOCLENIUS Jun:

S. P. D.




STROLOGICÆ disciplinæ ortum, antiquitatem, usum & utilitatem, cúm multi & doctissimi viri literis sint persecuti, lector humaniss. injuriam fecero, si quæ ab aliis copiosé & pro dignitate sunt explicata, hâc meâ operâ in rivulos deducam, & á lectoribus degustari malim, quám ab ipso capite & fontibus hauriri. Nunc propositum mihi est, varia & plané nova geniturarum & nativitatum exempla, á me annis ab hinc aliquot observata & cum judiciis astrologicis diligenter instructa: præsertim quia á multis honestissimis studiosis magnoperé fuerint á me efflagitata, in lucem edere· & si intellexero, hanc meam operam tibi probari, dabo operam, ut temporis successu artem hanc pluri-

pluribus exemplis & obſervationibus auctam habeas & locupletiorem. Vale, & hunc meum laborem benigno & attento animo ſuſcipe. Dat. Lichæ 9. Mart. ſub ☉ & ☽ cõgreſſu in ♈ aſcendente 18. grad. ♈ cum ☿ &c.



EXEMPLUM GENITURÆ PRIMÆ.



JUDICIUM ASTROLOGICUM.

TAM fuit fortis astrorum in hujus nati genitura, ad mortem violentam inclinatio, ut sæpius sponte in pericula ruens, violenti exitus causam tandem sibi consciverit: tale autem mortis genus, quis non videt ex lumi-


narium

narium & Martis combinatione, cum ſtella volenta quæ caput Algol ab Aſtrologis dicitur portendi: juxta aphoriſm. aſtrologicum. Luminaria cum capite Meduſe Marte permixto, capite truncandos ſignificant: decollatus eſt in juventure ob homicidium magni viri. Joviales autem ſuam autoritatem interponentes, obtinere tamen nihil potuerunt, quia Jupiter in genitura eſt debilis & in malo cœli loco· adde quód malum auxit ♄ in aſcẽdente retrogradus, in Martis dignitate eſſentiali conſtitutus, eúmque in occidente cum Sole & Luna partili oppoſito affligens.

Mortem in juventute ſignificârunt omnes ſignificatores vitæ & mortis partiliter conjuncti, & ſeſe invicem affligentes. Et tantúm de hac genitura.

GENI-

GENITURA SECUNDA.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

CRudelis hic fuit, impetuoſus & in omnibus actionibus ſuis vehemens : fuit autem evectus ad magnas dignitates & honores, quos ſignificavit Sol, in loco cœli regio & ſummo ſtipatus ſtellis fixis inſignioribus: tandem ob martialem vehementiam, de loco deturbatus pugione transfoſſus eſt.

Mo-


Morum vehementiam & crudelitatem, significavit Mars in ascendente, solus morum significator in signo ♎: cujus rei vidi plura exempla: mortem autem violentam ex ferro denotavit Luna in occidente ad oppositionem ejusdem, & Saturni conjunctionem festinans: & hæ rationes sunt evidentissimæ, his qui contradicit, manifestæ contradicit experientiæ.

Annus mortis fuit 78. cum in annua revolutione, Mars & Luna in angulo occidentis partiliter conjuncti, horoscopo opponerentur: Saturno in eorundem quadrato & imo cœli constituto.



GENI-

GENITURÆ TERTIÆ
Exemplum notabile.



JUDICIUM ASTROLOGICUM.


PRopter criminationes & injurias, quibus magnos viros affecerat, detentus fuit hic vir Danus in carcere per semestre ferè: tandem tamen liberatus fuit & dimissus. Intercesserunt autem magni nominis mulieres.

Car-

Carceres denotârunt manifeſtos, ♂ cum ☉ & ☿ in 12. Lunam in 6. oppoſito affligens: item, quadratus ☿ & ♄ partilis. Saturnus veró Dominus iræ, in exaltatione ſua fortis & á Venere in horoſcopo feliciter conſtituta, ex domicilio receptus, liberationem ſignificavit. Trigono denique Veneris & Saturni factum eſt, ut dimiſſus ad honores iterum aſpirârit: quos etiam per ſe major Planetarũ pars in eſſentialibus dignitatibus conſtituta promiſit.

Mores habuit manſuetos & maximé laudabiles hic vir, quos Venus ſuâ naturâ ſola morum ſignificatrix, in hoc viro excitavit.

GENITURA QUARTA.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

MALEFICI in imo vel ſummo cœli cardine conſtituti, alterutrúmque luminare infeſtantes, plerúnque vitæ periculum ex caſu ab alto decernunt.

Exemplum nobis præbet præſens genitura ubi ambo malefici in cardine ſummi cæli con-


conjuncti Lunam in angulo terræ opposito lædunt: ad summum, omnes Planetæ ferè hostili radio sese intuentur, quæ cōstitutio vitam brevem significavit. Et etiamsi Jovis trigonus ad ♄ & ♂ debuisset aliquid destruere, vel potius impedire (destruxit autem multū) debilior tamen fuit ejus constitutio, quám ut maleficorum supra omnes Planetas elevatorum, fortissimam influentiam arcere & impediri potuerit.

Decidit é scalis læso altero pede & collo, vixítque per 2. dies: fuit juvenis præclaræ indolis.

Annus mortis est 84. cum in revolutione Saturnus imum cœli occuparet, quem genituræ tempore Luna tenuit, & Mars ex occidente horoscopo opponeretur.



GENITURA QUINTA.




JUDICIUM ASTRO-
LOGICUM.

FUIT hic juvenis nauta Cimber, in rebus aquaticis audaciſſimus. Bis fuit in periculo aquæ, ſemel tamen conſervatus propter Jovem, qui, ut ex figura videre eſt, Lunæ partiliſſimé jungitur.


Anno

Anno autem 93. cúm in revolutione annua Saturnus sese Soli in descendente jungeret, & Jupiter in opposito constitueretur, Luna in opp. octavæ, & Mars in octava: cúm ex una navi in aliam, animi tantúm & exercitii gratiâ, ut juvenes nautæ in illis regionibus assolent, transiliret, tandem impingens in aquas decidit: vivus quidem exemtus est, sed tamen ob aquæ pleniorem injurgitationem statim suffocatus: genituræ tempus sciscitatus, in gratiam Astrologiæ studiosorum huc adposui.

Mortem autem ex aquis portendit 4. Planetarum in signo aqueo & angulo occidentis combinatio, nullo benefico respiciente, excepto ♃ qui Lunæ proximé junctus est, ut supra dixi &c.



GENITURÆ SEXTÆ
exemplum notabile.



JUDICIUM ASTRO-
LOGICUM.

MORTEM violentam, crudelem & bestialem arguunt omnes significatores vitæ & mortis feré in signis violentis: utrúmque luminare ab utroque malefico partiliter læditur, ☉ conjunctione, Luna veró oppositione.


ſitione. Strangulatus eſt in Anglia ann. 86. ob homicidium, ut mihi relatum eſt, neque dubium, ſi Martis & Saturni poſitus in genitura diligentiús examinetur, quin tale deprehendatur: Sole in revolutione annua cum ♄ & ♂ in 8. ut in radice nativitatis, concurrente.

Itinera habuit honoratiſſima propter ☿ & ♀ in 9. & multa alia commoda in vita ſua propter ☿ium Dom. horoſcopi Veneri partiliter junctum, & ♃ in tertia.



GENITURÆ SEPTIMÆ,

Exemplum notabile.



JUDICIUM ASTROLOGICUM,

LUMINARIA in ſigno violento & Martio juncta & á maleficis afflicta, mortem violentam ex ferro denotârunt: transfoſſus eſt noctu in haſtarum concurſu á violentis graſſatoribus, inter quos primus fuit, cujus genitu-

genituram præcedentem examinantes, ſtrangulationis cauſas & homicidii deprehendimus.


Annus mortis eſt 86. cum in revol. ♄ in aſcendente conjungeretur Soli, quem in radice oppoſito affligebat, ♂ te ſimul in horoſcopo conſtituto· fuit juvenis magni nominis.

Memorabile eſt hoc, quód in utráque genitura, mortis violentæ ſigna manifeſta conſpiciuntur. Unde conſequitur, in omni genitura, luminarium poſitum diligenter cum horoſcopo & ejus domino eſſe obſervandum, & de vitæ ſtatu & conditione ex veritate aſtrologica pronunciandum.



GENITURA OCTAVA

magni cujuſdam viri.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

MERCURIUS totius genituræ dominus & ſolus morum ſignificator exiſtit, in ſigno Saturnino & aſcendente: ſic autẽ conſtitutus (cujus rei plura & notiſſima habeo) exempla, ingenii præſtantiam feliciſſimam-


cum

cum dignitatibus ſecularibus largitur. Marte autem permixto, ingenia turbulenta, rixoſa & contentioſa, Mercurio ſimul exiſtente debili. In præſenti genitura feliciſſimé conſtituitur. Eſt enim hic natus, ob ingenii acumen excellentiam, per totam Germaniam celeberrimus.

Triplex habuit conjugium propter plures partiles ad Lunam: adde quod Luna domina ſeptimæ in ſeptima conſtituta, ex ſua & loci natura ſemper plures uxores decernit, niſi á Saturno vel Marte, inſigniter impediatur: in hac genitura eſt bené affecta, eſt enim utriúsque malefici trigono fulta: rixas in conjugio malefici angulo occidentis oppoſiti, neceſſarió important, præſertim in ultimo, quod omninó martiale eſt propter Martem in genitura, qui loci conjugii eſt triangulator.



GENITURA NONA
Cujusdam mulieris.



JUDICIUM ASTROLOGICUM.

DOMINUS hujus geniturę est Mercurius, participe Marte; et quia hostili quadrato se affligunt, faciunt hanc natam rixosam, levem iracundam, incõstantem, contentiosam, & adeó martialẽ, ut suspẽdii vel submersionis

ſionis cauſam ſæpius ſponté & absque cauſa quærat, præſertim irritata, quando rei optatæ executione frui non poteſt.

Paſſionibus venereis pleniſſimam arguũt, ideóq; corpore plethorico præditam, luminaria ex angulis oppoſita & Venus in ſexta: & hęc ex veritate aſtrologica pronunciantur liberrimé. Breviter, ad Utopiam releganda eſſet hæc mulier cum genitura, niſi Jupiter Mercuriũ ex exaltatione reciperet: hæc enim receptio, dexteritatem quandam addit.


Cum conſanguineis & fratribus, ingentes rixas habuit & contentiones: tales autẽ Mars in tertia ſemper portendit, & quia fortis eſt, vincet: easdam tamen augebit Saturnus, in octava duram etiam mortem importans.



GENI-

GENITURA DECIMA

boni cujusdam viri.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

TRIPLICIS conjugii causæ manifestæ; in hujus viri genitura sunt tres partilissimi ad Lunam (attẽtum hîc lectorem & judicem requiro) primum fuit Joviale: secundũ Venereum: tertium, in quo nunc est, Mercuriale:

le: quartum (quod tamen bono huic viro non optârim) Saturninum erit, nam quartus partilis eſt quadratus Saturni, qui, quia retrogradus eſt, ipſe ſui influxus erit deſtructor: hoc liberé addo, quód tertio cõjugio vix præmorietur.


Omnes nuptiæ fuerunt honoratæ, & uxores divites, quia omnes conjugii ſignificatores ſunt fortes & bene affecti: & Venus domina ſecundæ, cum fidicula in angulo, feliciter conſtituitur, in Jovis & Lunæ ſextili, quæ conſtitutio ſplendidas divitias ex conjugio pollicetur.

Ingenii felicitatem & in judicando dexteritatem collige ex inſigni illo trigono, quo Jupiter, Luna & Mercurius ſe invicem ſalutant, quibus ſe adjungit Veneris ſextilis, magnæ felicitatis indicium. Saturnus in nona retrogradus, in itineribus pericula.



GENI-

GENITURA UNDECIMA PRÆstantis cujusdam viri.



JUDICIUM ASTROLOGICUM.

MAGNI ingenii hic vir eſt, propter Mercurium in aſcendente Jovis triquetro exceptum: ſic enim conſtitutus tanquam principalis officii dator & ſignificator, honores & officia nunquam denegabit.

Pericula aquatica portendunt Saturnus cum

cum Sole in ſigno piſcium, & Luna cum Plejadibus in quarta: bis fuit in extremo aquæ periculo, ut mihi ipſe retulit.


Saturnus in domo ſubſtantiæ cúm Sole ſubſtàntiæ, profligationem & diſſipationem minatur: Dominus tamen ſecundæ Jupiter, in Saturni exaltatione ex hæreditatibus eam cum incremento maximo reportabit: divitias etiam augebit Luna in ſua exaltatione & Venus in domicilio proprio.

Martis ad horoſcopum quadratus ex ariete, vulnera improviſa & percuſſiones notat, quas etiam expertus eſt.



GENI-

GENITURA DUODECIMA
cujuſdam Studioſi Med.



JUDICIUM ASTRO-
LOGICUM.

MALEFICI in angulo terræ conjuncti & Lunam, in angulo occidentis quadrato affligentes, magna pericula ex lapſu & caſu ab alto huic nato portenderunt: bis cecidit graviſſimé non ſine læſione pedum: neque aliquis putet, aut temeré jactet, ſe pericula effugere


fugere & evitare posse, qui tempore genituræ suæ maleficos sic habet constitutos: & nisi alter in suis dignitatibus esset constitutus, & Luna Veneris trigono fulta, absque periculo vitæ vix evasisset.

Mercurius in præcipuis suis dignitatibus essentialibus mercuriale ingenium, cum simulandi & dissimulandi arte huic nato largitur: profundas cogitationes addit Saturni sextilis, ardorem veró Mars & Sol.

MAGNAS rixas & simultates cum parentibus nothis, significavit Saturnus in quarta peregrinus & Marti junctus, quas etjam auget Lunæ quadratus: quamvis Veneris triquetrus multúm impediat: & hæc omnia expertus est.



GENITURÆ DECIMÆ-TERTIÆ *vitæ brevis Exemplum.*



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.


LUMINARE conditionarium, hoc eſt, Sol alteri malefico in domo mortis partiliter junctum, & Luna ad oppoſitum eorundem feſtinans, vitam brevem denotârunt.

Mortuus eſt anno ætatis ſecundo, cúm in revolutione Mars, Soli opponeretur cui in radice jungebatur &c.

GENI-

Genitura decima-quarta

Vitæ brevis, cujuſdam puellæ.



JUDICIUM ASTROLOGICUM.

SAturnus ſupra omnes planetas elevatus & Solem in angulo terræ oppoſito partiliſſimo infeſtans, Lunâ, ſimul quadrato martiali afflictâ, vitam brevem ſignificavit.


Graviſſimé caput ex caſu ab alto fuit afflictũ,

quem idem Saturnus in medio cœli Retrogr. portendit.

Ingenio felicissimo fuit prædita, propter coitum Lunæ & Mercurii, quæ conjunctio in hoc felicitatis dono tenet primas.


Mortua est anno 95. cum in revolutione Saturnus ex Leone Solem quadrato attingeret, Marte simul ad Solem & quadratum Saturni properante.

Ad extremam autem infamiam & supplicium venisset (si vixisset) ob Veneris pessima blandimẽta, quæ Mercurii & Lunæ coïtus, Marte per quadratum, Venere veró per sextilem aspirante, adauxisset.



GENITURA DECIMA-QUINTA

cujusdam Studiosi Dani.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

OCULORUM passiones & dolores gravissimos passus est & etiamnum patitur hic natus, propter luminaria conjuncta cum nebulosis tauri, & nisi Venus se interposuisset, omnino fuisset cæcus factus.


Chartis luſoriis mirificé delectatus eſt, quibus etiam magnam pecuniã perdidit: id quod Mercurius in ſecunda á Marte receptus evidenter demonſtrat, ubi per fas & nefas acquiſitionem ſubſtantiæ ſignificat.

Honores illi contribuit & dignitates Jupiter in aſcendẽte: ſed mortis violentę inclinationẽ, ex Saturno in octava retrogrado, Marte in angulo occidentis & Sole cum capite Diaboli ſeu Meduſæ colligo, niſi trigonus Jovis ad Saturnum aliquid impediat, & Veneris cum Sole partilis unio &c.



GENI-

GENITURA DECIMA-SEXTA
cujuſdam homicidæ



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.

SANGUINIS effuſionem cum ſtellis cancri, Mars culminans fortiter ſignificat, niſi bonorum bonis aſpectibus impediatur.

Exemplum habemus in pręſenti genitura, ubi horoſcopo occurrens præter homicidi-


um carceres portendit, quibus etiam per semestre detentus est: tandem tamen liberatus propter trigonum Lunæ, Solis, & Mercurii, & Jovem qui dominus iræ existit: intercesserunt autem pro eo magni viri & Joviales.

Plura non addam, ne palpare illum videar.



GENI-

GENITURA DECIMA-SEPTIMA
cujuſdam homicidæ Studioſi.



JUDICIUM ASTRO-LOGICUM.


EST hic ſtudioſus magni & clari nominis, ſanguinis tamen humani effuſor: utérq; maleficus in ſua eſſentiali dignitate eſt conſtitutus, ſed poſitus in quadrato partili eſt: horoſcopus ab utroque eſt afflictus, á Saturno quadrato, á Marte veró oppoſito: in præ-

cedente genitura habuimus eandem constitutionem Martis, sed in Cancro, hîc veró in ariete, ille remissior, hic turbulentior evadit: optimum est in hac genitura, quód horoscopus á domino suo felici trigono reficitur, & Luna in sextili Martis constituitur: carceres in undecima destruere conatur Jupiter á domino 12æ receptus ex domicilio, sed quia retrogradus est & in suo casu, vereor ne dominus septimæ Mars vehementiores turbas excitet, & violentum tandem exitum importet.



GENI-

GENITURA DECIMA-OCTAVA
cujusdam juvenis scortat:



JUDICIUM ASTROLOGICUM

MERCURIUS in geminis, ubi proprium domicilium & sedem habet, præstantissima & sagacissima dat ingenia ad literarum & linguarum studia, exempla sunt ubique in promtu. Sed in hoc nato nullum horum excitavit, quia Mercurius ex opposito Saturni & Lunæ


& Lunæ quadrato fit versatilis: Der Mercurius wird flüchtiger ꝛc.

Venus genituræ hujus est domina, in medio cœli fortissima & bené affecta: & decernit huic nato multos congressus & utiles cõversationes cum mulieribus: turpes tamen & illicitas propter conjunctionem cum capite Medusæ & Martis oppositum, qui etiam aspectus in conjugio difficultatem famosam portendit: sed retrogradationem dominus septimæ Saturnus retrogradus certó significat, quam etiã passus est · ac pessimi argumenti signum est, utriúsque malefici retrogradatio in qualibet genitura: in hujus autem nati genitura dissipationem & dilapidationẽ paternarum facultatum significant, utérq; enim maleficus in domo quarta retrogradationem patitur · casum etiam ab alto minatur: uterq; & afflictiones á quadrupedibus præsertim equis · pericula in aquis minatur Luna, in Piscibus quadrato Saturnino afflicta, quorum tamen posteriorum nullum adhuc expertus est, vix tamen effugiet, quia maleficorum hoc in loco influentia fortissima est & periculosa.

Honores illi decernunt & fortunatas conversationes cum amicis Jupiter & Sol.

GENI-

GENITURA DECIMA-NONA *cujusdam hominis simplicis & brevissimæ staturæ.*



JUDICIUM ASTROLOGICUM.

NON laudatur plurium Planetarum in uno signo combinatio, sicut multitudo linearum in manu & fronte semper illaudabilis est: quinque Planetæ partiliter in hujus

nati genitura sunt conjuncti, sed alter alterius naturam & influentiam impedivit & destruxit: est autem homo simplicis ingenii & staturæ brevissimæ: ad honores tandem Ecclesiasticos evectus, sed cum magna difficultate: quia Jupiter in genitura multos habet participes, dann ein jeder wil Herr seyn / insonderheit Mars / welcher allzeit præ reliquis audacior est.

Annos jam habet 29. quadragesimum meo judicio, vix attinget, propter quinq; quadratos horoscopum partiliter debilitantes: & omnes Planetas infra terram constitutos; juxta aphoris. astrologicum: quicúnque tempore genituræ suæ omnes Planetas habet subterraneos (nisi omnes vel major eorum pars in dignitatibus essentialibus sit constituta) ad perfectam ætatem ut pervenire possit, impossibile est· cujus rei plura habeo experimenta , quæ nunc omitto. Atque hæc sunt, benigne lector, quæ tecum ex astrologica veritate communicare volui: accipias , quæso, bono animo, hunc meum primum laborem.

Si pro temporis longiori observatione digniora occurrerint, faciam ut limatiora ea habeas & accuratiora. Vale.

FINIS.

LICHÆ
COMITATVS
SOLMENSIS, TY-
PIS NICOLAI
ERBENII.



ANNO

M. D. XCVII.

